



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Defensio Abbatiæ Imperialis S. Maximini**

**Zyllesius, Nicolaus**

**Treveris, 1638**


32. Conradi Comitis Luxemburgensis Diploma, Anni MCXXXV.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14268**

Abbatem violenter cogantur seruire, nisi sibi placeat, aut beneficium aliquod ab eis videantur habere. Præbendarij etiam siue Mansionarij fratum circa Monasterium infra miliare vnum è vicino manentes: siue Dagescalci aut cœrarij, fortis ubique per villas positi, nullius Aduocati, vel Hunnonis placitum nisi pro aliqua temeritate vel negotio ab Abbatore, vel à suis fuerint inuitati respiciant, familiaque totius Abbatiæ in quoecunque placito vel negotio, banum vel fredas nulli, nisi Abbatore, aut villicis suis persoluat, & Telonium à navibus eorum in regno nostro nullus exigat. Præterea fideles nostros tam præsentes scilicet, quam futuros ignorare nolumus, quia per inuentum Patris nostri Domini Paschalis Apostolici, & Mathildis cœquè Reginæ, nec non fidelis nostri Arnulfi Aquensis Præpositi, aliorumque fidelium nostrorum, quos prænominaimus, ac pro iugi ac fideli seruitio prædicti Abbatis Berengori cœnobio sibi commisso ac fratribus quasdam Curtes & possessiones Beato Maximino iustè subtractas, id est Liouena, Lutthardesdarra, Mannental etiam & Gunthereshusun, cum omnibus pertinentijs suis. †

† ad præsens eis reddimus, atque firmamus: Et ut nullus Successorum nostrorum Regum, vel Imperatorum, nulla prouersus Ecclesiastica, siue mundana persona eadem bona quoquomodo inde auferre, vel à præbenda fratrum abalienare præsumat, firmissimè præcipimus atque iubemus. Et ut hoc Imperiale nostræ autoritatis præceptum de his omnibus conscriptum firmum & stabile permaneat, vterius manu propria subtus firmauimus, & Sigilli nostri impressione insigniti iussimus. Insuper & spiritualem Patrem nostrum Dominum Paschalem banno suo confirmare rogauimus.

Signum Domini Henrici Quarti Romanorum Imperatoris Invictissimi Bruno Cancellarius recognouit. Data Kl. Iulij Indictione IX. Anno Dominicæ Incarnationis MCXVI. regnante Domino Henrico Quinto Rege Romanorum Anno XI. Imperante vero VI. Actum in Italia in Castro Burgulicin Dei nomine feliciter. Amen.



*Conradi Comitis Lutzelburgensis Diploma Anni  
MCXXXV.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Conrardus Comes de Lutzelbourg, postquam prouidente Deo, post decepsum piissimi genitoris nostri Wilhelmi Comitis de manu Regia, quidque Iuris nostri est, cum om-

ni integritate recepimus consilio fidelium nostrorum, quid nos hominibus nostris, quid nobis homines nostri, quid nos Ecclesijs, quid nobis Ecclesiæ ad Advocatiam nostram spectantes deberent, sollicitè perscrutari studuimus. Vnde cum in Ecclesiam Beati Maximini proximo die post festum eiusdem gloriosi Confessoris venissimus, & in loco nobis præparato vna cum Abbe Gerardo ad celebrandum placitum nostrum sedissemus de omni iudicio nostro, & præcipue de seruitio, quod ipso die nobis debetur, præsentibus liberis hominibus nostris, ministerialibus nostris, & ministerialibus Ecclesiæ diligentius perscrutati sumus: quod tamē, vt debito ordine processum haberet, Tybaldum de Bettingen, Wecelonem de Zoluer, Reynerum de Dumeldingen, vt communicato consilio, cum paribus siue de iure nostro, iuxta quod à patribus suis perceperant, vel certe ex priuilegiis, quæ in ipsa Ecclesia sunt, cognouisse poterant, nobis referrent, sicut debuimus, monuimus. Ipsi vero communi & vnanimi consilio, sicut audierant & viderant, ex sententia nobis retulerunt: quod ipso die à prima hora vsque ad nonam super prædia & manciphia eorum, qui Ministri vel Scatemanni dicuntur, placitare debemus: Ita tamen si celebre festum, vel ieiunium ea die non fuerit, & quidquid placitando adquisierimus duæ partes Abbatis, tertia nostra erit: nullus verò pro nobis ipso die placitare poterit, & nisi in personā nostrā præsentes fuerimus, non placitabitur ex parte nostrā, nec seruitium exigetur, ad seruitium nostrū, si placitauerimus, & quæ corrigenda sunt, iudicio ministerialium & Scabinorum correxerimus, duos maldros panis, quatuor oves, & amam vini Abbas nobis dabit, quod amplius necesse fuerit, de placito accipiemus; per curtes verò Abbatiæ, Aduocati qui de manu nostra Aduocatias tenent, non nisi ter in anno tantum placitare debent, & illi, qui Hunnones in quibuldam locis dicuntur, tertio tantum anno, nisi recens fuerit furtum, aut ex parte Abbatis vocati fuerint, placitum habebunt. In illis autem placitis Aduocatorum vel Hunnonum, quidquid clam vel aperte quisque reus vadieatur, duas partes Abbas, tertiam Aduocati vel Hunnones habebunt, ipsumq; vaduum secundum arbitrium Abbatis consilio villicorum & meliorū, qui in Curtibus sunt, iuxta modum culpe, & facultatis vniuersiisque hominis disponetur. Si quæ bona ex sententiâ Scabinorum iudicario ordine indominicata fuerint. Primo anno Abbas debitum censem excipiet, & postea duas partes de fructibus eorundem bonorum, tertiam Aduocati habebunt. Postmodum verò ipsa bona Abbas in sua potestate libere habebit, colet, omnemque fructum recipiet, donec fortè hæres redeat, & de manu Abbatis per consensum Aduocati, & per sententiam Scabinorum bona sua de indominatione liberata recipiat, in curtibus, in quibus Aduocatis seruitium debetur, ipsum seruitium cum Abbe vel Præposito eius, & cum Scabinis expendent. Quotiescumq; autem petente Abbe, vel exigente negotio Ecclesiæ, ad eundem locum venerimus illi de Ante portam, de Ruere, de Martini villa, de Mathena, de Centarbers, de Emmelda, qui nullum nisi Abbate Aduocatum habent, in lignis, straminibus, & lectisterniis prouidente Sculteto Abbatis nobis seruire debent. Hæc igitur per sententiam nobis dicta, & in priuilegio Domini Henrici Quarti Regis Romanorum, aliisque priuilegiis Romanorum Imperatorum & Regum expressa & confirmata rata habemus, nobisq; & omnibus Successoribus nostris in uiolabiliter tenenda, in perpetuum relinquimus, de seruitio, quod in festo prædicti Patroni ministerialibus datur, vrgentibus ipsis ministerialibus, nec minus petente Abbe & Fratribus per sententiam quæsiuimus, accepimus igitur per sententiam, quod equos eorum, qui ministeriales sunt, & ius ministerialium à præde-

cessoribus suis integritatē generis & conditionis obtinuerunt, illi qui ad hoc officium infeudati sunt, circa nonam aduenientis festi, in quoddam pratum, quod est Kenne, deducent, & usque ad nonam sequentis diei, vel quantum Abbas ipsos ministeriales detinere voluerit, custodient. nullum pabulum eis debetur. Ministerialis si cum uxore sua venerit, duodecim panes, sex textaria vini, ouem unam recipiet, si autem sine uxore venerit cum Abbatie ipse & famili sui, qui duo tantum vel tres esse debent, comedet, & sicut nullus predictorum ministerialium a consilio, vel a mensa Abbatis in ipso festo arceri debet: Ita nullus eorum predictum seruitium foris efferendum recipiet, nisi loco militis Abbatis decenter assistere & seruire possit; Si quis Ministerialium Ecclesiaz extraneam uxorem duxerit, filii eius predictum seruitium, quod patr̄ eorum, quia ministerialis Ecclesiaz erat, habuisse videbatur, non habebunt; feminæ ministerialis Ecclesiaz, si viro extraneo nupserit, filii eius propter conditionem matris, predicto seruitio non priuabuntur. Ipsi Ministeriales deposito amictu clamydis, vel alterius superuestimenti, in vesperis, in cena, in missa subsequentis festi, debitâ cum reverentiâ, Abbatis obsequio se offerent: Abbas si proximo die post festum de negotijs priuatis, vel communibus cum Ministerialibus aliqua tractare voluerit, siue nos presentes, siue absentes fuerimus, absque expensis eorum ipsos detinebit. Si ad placitum venire non poterimus, & Abbas eorum praesentia carere voluerit, circa nonam in ipso festo redeundi ad propria singulis licentiam dabit. Hæc igitur de iure nostro, de iure Ecclesiaz, de iure ministerialium per sententiam nobis relata, & assensu omnium comprobata, Abbatie & Fratribus, atque ministerialibus potentibus scripto commendauimus, & impressioni Sigilli nostri, ut in perpetuum rata & in conuulta teneantur, confirmauimus. Huius rei testes sunt, Godefridus Comes de Hesch, Tybaldus de Hettingen, Wyricus de Vischbach, Wetzelo de Zolueren, Humbertus de Ansenburch, Reinerus de Merchedicto. Eugenbrandus de Rockingen, Betzelinus de Decima, & quam plures alij. Acta sunt hæc Anno ab Incarnatione Domini, Millesimo, centesimo, tricesimo quinto. Regnante Lothario Romanorum Rege. Treuiri presidente Alberone Archiepiscopo.



33. Inno-